Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



ita. ℟ Formauit igitur dominus hominem de limo terre et inspirauit in faciem eius spiraculum uite. Et factus est homo in animam uiuentem. ℣ In principio fecit deus celum et terram et plasmauit me hominem. Et factus est. Lectio. v. Et fecit deus duo magna luminaria. Luminare maius ut preesset diei et luminare minus ut preesset nocti et stellas. Et posuit eas in firmamento celi ut luceret super terram et preesset diei et nocti. et diuideret lucem ac tenebras. Et uidit deus quod esset bonum. Et factum est uespere et mane dies quartus. ℟ Tulit igitur dominus hominem et posuit eum in paradysum uoluptatis ~~a principio~~. Vt operaretur et custodiret illum. ℣ Plantauerat autem dominus paradysum uoluptatis a principio in quo posuit hominem quem formauerat. Vt. Lectio. vi. Dixit etiam deus. Producant aque reptile uiuentis anime et uolatile super terram sub firmamento celi. Creauitque deus cetea grandia et omnem animam uiuentem atque motabilem quam produxerant aque in species suas et omne uolatile secundum genus suum. ℟ Plantauerat autem dominus paradysum uoluptatis a principio. In quo posuit hominem quem formauerat. ℣ Produxitque dominus de humo omne lignum pulchrum uisum et ad uescendum suauem lignum etiam uitae in medio paradysi. In quo. Lectio. vii. Et uidit deus quod esset bonum benedixitque eis dicens. Crescite et multiplicamini et replete ~~terram~~ aquas maris et uolatilia multiplicentur super terram. Et factum est uespere et mane dies quintus. Dixitque deus Producat terra animam uiuentem in genere suo iumenta et reptilia et bestias terre secundum species suas. factumque est ita. ℟ Dixit dominus deus non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi. ℣ Ade uero non inuenebatur adiutorium similis eius dixit uero deus. Faciamus ei. Lectio. viii.